

prava materia, ut in cauda cervi, quæ in toto cervo non consistit, in capite felis, non in toto animanti, in radio pastinacæ, non in toto pisce, in draconis piscis aculeo tantum, non in carne, venenū ullu inesse creditur, & his omnibus vescimur indies abjectis venenosis partibus. Sed modò colligendum est etiam duplex esse in Vipera venenum; unum in actu perpetuò, etiam mortuæ, in dentibus firmiter inhærere, ut in superioribus piscibus; alterum in gingivis, & vesiculis collectum, ex usu & cibo venenatorum animantium attractum à fellea vesica, vagum & spirituosum, translatū quoq; ad gutturis partes, tanquam in sentinā à natura deponi, & facultate viperea perfici, quod morte extingui volunt, quod gingivarū venenū, si ictu viperino superaccedat, statim ut ignis per animantis corpus defertur, & quā celerrimè cor petens corpus tumefacit. Ex his planè constat Viperam non totā esse venenosam, sed aliquas particulas non carere veneno.

— — — — —  
 IN QUA PARTE VENENUM  
 insit in Vipera, in qua virtus Alexiteria, supra notuit. Modo videndum  
 quomodo à simili fiat attractio, &  
 à contrario expulsio.